



## **Politicorvm Libri Decem**

**Contzen, Adam**

**Colonia, [1621]**

Cap. XXIV. Magistratum patriæ obligatum esse.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

mitas animi! Empedocles totū se Carbanensium Echneis incenditis donauit, o vigor mentis! Aliqua Carthaginis conditrix rogo se secundum matrimonium dedit, o praeconium castitatis! Regulus, ne viuis hostibus viveret, toto corpore cruciatus patitur, o virum fortem, & in captiuitate victorem! Anaxarchus quum in exitum Prissane pilo cōtunderetur, Tunde, tunde, aiebat, Anaxarchi follem! Anaxarchum enim nō tūdis, o philosophi magnanimitatem, qui tali de suo exitu etiam iocabatur! Omitto eos qui cum gladio proprio alioque genere mortis mitiore de laude pepererunt. Ecce enim & tormentorū certamina coronantur a vobis. Attica meretrix carnifice iam flagitator, postremo linguam suā comestam in faciem tyranni expulit, vt expueret & vocem, ne coniuratos confiteri posset, si etiam victa voluisset. Zeno Elates consultus a Dionysio, quidnā Philosophia praestaret, quum respondisset, cōtemptum mortis: impassibilis flagellis tyranni obiectis sententiam suā ad mortē vsq; signabat. Certe Laconum flagella sub oculis etiam hortatū propinquorum acerbulā tantum bonorem tolerantia domui conferunt, quantum sanguinis fuderint. O gloriam licitā, quia humanam, cui nec praesumptio perditā, nec persuasio desperata reputatur, in cōtemptu mortis, & atrocitatis omnimode, curatū pro patria, pro imperio, pro amicitia patipermissum est, quantum pro Deo non licet, & tamen illis omnibus & statuas defenditis, & imagines inscribitis, titulos inciditis in aeternitatem, quantum de monumentis potestis: scilicet praestatis & ipsi quodammodo mortuis resurrectionem hanc, qui veram a Deo sperat, si pro Deo patitur, insanus est?

Non igitur causa cur reges suos ament Christiani, est mollities, sed Dei ordinatio, imperantis moderatio, parentum virtus. Neq; n. Romani reges suos, nisi ob vitia repudiarent. Testis ipse Florus l. i. c. 8. Postremo superbi illius importuna dominatio, non nihil, imo vel plurimum pro fuit. Sic enim effectum est, vt agitata iniuriis populus cupiditate libertatis incenderetur. Sapientissime itaq; Tertullianus fortes esse Christianos, & ferre imperia, qui martyria ferre possent. Ego paulo aliter concludā. Si Christiana religione facti sunt, tot Martii, tot Anaxarchi, tot Zenones, tot Lacones, & omnes in meliore causa, non enervat hominum robur religio Christiana, sed confirmat. Vtū de his suo loco. Nunc contra Pseudopolitici hoc moneo, me cum iustum iusti principis imperiū laudo, non agere contra libertatem. Inestimabile bonū est, fieri suum: Est aut, vt ait Arist. i. Met. c. 2. liber sui causa, non alterius. Grauius nam omnes iacturam libertatis arbitrantur, & cum plausu cecinit Poeta, ἡ δὲ δούλη ἐστὶν ἀνδρείου καὶ ἀνδρείου ἀνδρεία. Non emoritur libertatis amor. Recte & Strabo. Ἐλευθερία μὲν ἰσθ. ποιεῖ τὴν ἀνδρείου τὴν ἀνδρείου. Τὰ δ' ἐν δουλίᾳ τὴν ἀνδρείου οὐκ ἀνδρείου ἐστὶ. Soli libertas bona possidentibus propria esse facit, qua vero seruitute sunt, imperantium, non parentum sunt. Sed iam ostendi parere iusto, & secundum leges imperio non esse seruitutem, sed tutissimam libertatem. Quod si a iustitia recedat princeps, & leges rumpat auaritia, ira, libidine, non tamen vnus tyrannis grauior erit, quam multorum dominorum sauities, ac contumelia.

## CAPVT XXIV.

## Magistratum patriæ obligatum esse.

§. 1. **P**ROponi solet hæc de principe quaestio, sed quia non principem duntaxat, sed senatū etiam populūq; informandum suscepi, de omnibus generatim disputandum mihi fuit. Sic autem accepta quaestio bipertita est. Queritur enim: An magistratus summus plus possit, quam vniuersa Respublica? Deinde in quib' reipublica sit obligat' magistratus?

Prima quaestio difficilis est, & forte periculosa: si enim magistratum plus posse dixeris, forte tyrannidem accendes, si Respublica supremam potestatem tribueris, reges in ordinem redigere videberis. Inue-

nienda est igitur ratio, qua & magistratui, qui vt caput, ita pars est Reipublicae, sua auctoritas asseratur, & Reipublicae ius suum conseruetur.

§. 2. Primum igitur respondeo. Omnem rempublicam quae sibi magistratus praeficit, seu regem eligit, vt olim Romani, & nunc Germani, Poloni, seu optimatum curiam, & consilium publicum, vt fecerunt exactis regibus Romani. Siue ex vniuerso populo rectores designent vt etiam Romae factum legimus, communicatis plebi patriciis magistratibus; nunc Heluetii, & federatae Belgii prouinciae in more habent. Hanc, inquam, Rempublicam qualemcunque magistratum eligit. Eum certarum legum praescripto astringere oportere, & nonnullarum rerum potestate priuare, eamque sibi reseruare, aliqui dominatum pene despoticum sibi inducet, vt nunc in Moscovia, Turciaque factum videmus; eā reipublice formam, vt perniciosam iam supra reieciimus. Deinde huiusmodi imperiis nulla prouincia nunc in Europa constitatur, neque eam Christiani principes, aut magistratus videntur affectare. Si tamen talis sit aliqua respublica, vt nunc est Turcarū, dubium non est, quin penes vnum sit summa potestas, neque aliorum quisquam, neque vniuersi sese opponere iure possunt: Non magis, quam serui Domini obistere. Verum illa Respublica est Ergastulariorum, non ciuium.

§. 3. Secundo ita statuo: In republica legibus constituta, ius summum est penes magistratum; cum quia omnibus priuatis eminet, tum quia quibusdam in rebus plus potest, quam tota respublica. Ideo recte simpliciter eius potestas est maxima; neque ex eo timenda est tyrannis: nam summa potestas esse potest, et si non omnia possit. Sed ea summa dicitur, quae secundum leges non est par, aut maior. Regem itaq; maiorem vniuersa multitudinem appello. Nam nulla respublica regem suum throno deicere potest, & quamuis liberrimis suffragiis eum designarint, non tamen, cum suam in eum potestatem transfulerunt, pro arbitrio reuocare possunt. Deinde iuris regii vsum, functionesque legitimas, ne tota quidem respublica impedire, aut remorari valet, neque enim imaginarium, aut pictum regem instituit, sed gladium illi, & vsum gladii concessit. Tertio, Non potest magistratum suum cogere Respublica, vt etiam in parte iuri suo cedat, sed integrum illi, nec vi, nec fraude imminutum conseruare tenetur. Deniq; in administratione iustitiae, defensione innocentum, condonatione delictorum, etiam si principes, consilium, populusque a rege deserviat, eum tamen sequi, adiuvare, & adesse cogitur. Neque enim principem tota reliqua cogere potest respublica, vt noxiū dimittat, infontis causam deferat, reum, cui alioqui indulgere posset, secundum leges puniat. Egregio & ad imperii firmitatem conspicuo exemplo rem demonstrare animus est. Camillus Consul bello Samnitico dictatorem dixit L. Papyrium Cursorem, ille magistrum equitum dixit Fabium Maximum, profectusque Romam ad repetenda auspicia, mandauit ne se absente Fabius pugnaret, at ille nactus occasionem rei bene gerendae, cum hoste confligit, & insignem victoriam reportat, recenti militum gaudio ac gratulatione venit dictator, Magistro equitum necem intentat, spoliari eum, virgas, ac secures expediti imperat, sed militum fidem implorantem Triarii recipere, ac texere, proque magistro equitum nunc etiam victore, exercitus orabat. Sed seuerum, & nimis imperiosum dictatorem non mouerunt, altero die adesse iussus, cum intellexisset infestorem se iudicem esse habiturum, Romam profugit, primores patrum appellat, & intercessione senatus a sauitia dictatoris immunem se sperabat; perstat ta-

Electū magistratum leges vinciant, sique aliquid, quod ei non liceat.

Magistratus est summa potestas.

Rex quare maior sit tota republica.

Dictator plus potuit quam tota respub.

men in sententia Papyrius, donec tandem Fabii pater ad populum prouocat: sic autem apud Liliu perorat: Quandoquidem apud te nec auctoritas senatus, nec atas mea, qui orbatem parat, nec virtus nobilitas, que magistrum equitum a te ipso nominati ualeat, nec preces, que sepe hostem mitigauere, qua Deorum iras placant: Tribunos plebis appello & prouoco ad populum, eumque tibi fugienti exercitus tui, fugienti senatus iudicium, iudicem ferro: qui certe vnus plusquam dictatura tua potest, polletque. Vide- to, cessurusne prouocationi sis, cui rex Romanus Tullus Hostilius cecidit. Quid vero Papyrius post Fabii inuidiosissimam oratione: Adhuc in incepto perseverat, & magistrum equitum ad penam deposcit. Quid hic senatus Romanus, populus Romanus, & ipsi Tribuni plebis? Populus orare cepit, Tribuni plebis item, ut uenia adolescentie Fabii donaretur, ut pena magistrum equitum sibi remitteretur, Pater Fabii in genua prouolutus pro filio deprecabatur. Tum vero Papyrius damnatum populo, & Tribunitia potestate se donare est professus. Verba eius sunt: Bene habet, Quirites: vicit disciplina militaris: vicit imperii maiestas: qua in discrimine fuerunt, an vlla post hunc diem essent. Noxa non eximitur. Q. Fabius qui contra edictum imperatoris pugnavit, sed noxa damnatus, donatur populo Romano, donatur Tribunitia potestate, precantium, non iustum auxilium ferenti. Viue Q. Fabi, felicit hoc consensu ciuitatis ad tuendum te, quam qua paulo ante exultabas victoria. Quis id facinus ausus, cuius tibi ne parens quidem, si eodem loco fuisset, quo fuit L. Papyrius, veniam dedisset. Mecum ut uoles, reuertes in gratiam: Populo Romano, cui vitam debes, nihil maius praestiteris, quam si hic tibi dies satis documentum dederit, ut bello ac pace pari legitima imperia possis.

Imprudens Papyrii, sed felix audientia.

Princeps in administratione iustitiae a populo non pender.

Germani summum iuris arbitrium Caesaris relinquunt.

Ius uectigalium constringendum.

atione, quae cum singulos attingat, æquum est, consentiente republica potius a volentibus dari, non ab inuitis, cum execrationibus, dirisque in principem, & pauperum gemitu, extorqueri. Merito igitur in hac causa frenum ponitur principali licentia, & ministro rum auditati, qui dum fisco principis atque aerario patrocinar se se profitentur, sua compendia non inuitatis artibus quaerunt. Multos patronos habet fiscus, & multis ipse patrocinator.

§. 5. Deinde legum condendarum, antiquandarumque auctoritatem penes Rempublicam, non vnum magistratum, siue principatum ille sit, siue senatus optimatum, oportere esse, maxime legibus bonae ciuitatis est consentaneum. Qua de re, cum acturus sim libro de legibus, hic causas adferre superfedeo.

§. 6. Tertio, Nec in potestate principis vnus sit successor deligere, quod quidem in omnibus prouinciis ubi electione, & suffragiis principatus confertur seruari puto; ubi vero ex hereditate succeditur, id legum norma, ac consuetudine, non principis arbitrio faciendum est, & si de heredibus controuersia oriatur, hanc vniuersa Respublica dirimet. Plus enim posse debet, quam dubius haeres, esse enim res omnium grauissima. Cur vero ubi electione princeps constituitur, nolim principis quamuis moderati, & prudentis valere iudicium, causa est: Quia per simulationem, & fraudem se pessimus quisque insinuat, amulos, aut in quibus spem regni esse suspicabitur, insidias, calumnias, ferro submouebit: De herede dubitabat Augustus, & quem instituisset is rerum Dominus futurus erat. Quas clades, quas Tragœdias dedit illa potestas? Germanicus, eiusque stirps per muliebres artes à medio tollitur, & tandem successor ab exilio eligitur, qui regnaturus erat sanguine multo, ipse Augustus dolere se dicebat vicem populi Romani, qui sub tam lentis maxillis futurus esset. Fecit tamen Imperatorem Tiberium, seu necessitate, velut impar illius potentiae, seu voluntate, quo successoris immanitate commendatior, ac desiderabilior ipse redderetur. Nec melior Tiberii conditio, quæ oculis vario euentu melioribus Caligula exceptit.

Legum potestas sit penes totam Rempub.

Principis arbitrium non sit in herede constituendo.

Augusti in successore deligendo peccatum.

Pacis & belli ius sit penes Remp.

§. 7. Quarto de pace & bello etiam ius Republicae potius, quam principis esse malle, quamuis video id regibus ut plurimum iuris esse, ut bellorum, pacisque arbitri sint. Ratio est, quia tardius sic bella inchoantur, citius finientur. Principes saepe laudis auidi, vindictæ pertinaces, leues ob causas ad arma piliunt, incitant eos Tribuni nobiles, pponunt exempla Alexandrorum, Scipionum, Caesarum, & quasi ignauos increpant, qui domi desideant, nihil gerant. Magno ferocium hominum errore, quasi vero non omnium maximum opus sit, tot hominum millia, tot improborum centurias in pace continere, atque ut sine aliorum iniuria iuuant, auctoritate, & metu cogere. Belluarum illa laus est, eam fortissimam esse, quæ pluribus cadibus oblita sit; princeps hominibus seruandis eligitur, alioqui quæto principe famosis latro gloriosior dicetur. Cum vero plurimi optimi, ditissimi que subditorum pacem optent, poscantque, eorumque inter sit quam maxime, vitam fortunamque non committi incertæ bellorum alicui, æquitas postulat, ut eorum etiam consensus exquiratur, idque principum in primis conducit. Nam eos fidos adiutores experietur, qui iam ante bellum decreuerunt. Cum vero tempore belli maxime principum fama proscindatur, nec id vnquam aliter fieri possit, nā ab hostibus, & ab amico milite quæ dāna accipiunt, omnia principum imputant, studiose curandum est, ut omni iudicio bellum, sumptusque in bellum decernatur, quo quidem facto non omnes quidem obtrectationes, & calumnias princeps effugiet, cōsequetur tamē ne oēs habeat aduersarios, sed quosdam approbatos.

Expedi non solum principem esse arbitrum belli.

§. 8. Quinto,

*As alienū suo arbitrio ne contrahat princeps.*

§.8. Quinto, Valde probo, quod in multis Germania: provinciis præsertim Ecclesiasticis statutum est, ne as alienum contrahere liceat principibus, aut inuitis subditis. Nam hoc modo pars regni alienis oppignoratur, vires dissipantur, & alio nomine noui tributi necessitas imponitur, dum aut fors, aut fœnus dissoluendum est. Imo tolerabilius iudico leni aliquo tributo principis necessitatibus succurrere, quam fœneratoribus obnoxiam reddere patriam, & principis maiestatem ludibrio exponere. Hæc præcipua sunt, quæ prudenter Reipublicæ quasi peculia quadam referuntur. Sunt alia peculiariora multis regnis; Licere principum conuentus iniussu regis congregare, Tribunal à rege liberum statuere. Nullum esse ius regis in puniendis principum, aut nobilium delictis, appellationem à rege ad minores magistratus dari. De his suo loco agam, nunc tantum hoc doceo. Omnino vitale esse principum potestatem ita legis septam esse, ne exorbitare, & in tyrannidem facile migrare possit, ita liberam ut coercendis malis, tuendis bonis sufficiat, hostibus sit terrore. Multæ enim provinciæ dum principum auctoritatem nimis acciderunt, euerse sunt; improbi enim homines precaria, & quasi serua potestatis contemptores, sursum deorsum omnia miscant.

*Non nimis accidenda principum potestas.*

§.9. Altera magistratus obligatio in officio ipsius præstando cernitur. Præclare Cicero, & ut puto, ex animo dixit; Duo se optare, primum ut moriens populum Romanum liberum relinqueret, alterum, ut quo quis in patriam esset animo, ea quoque fortuna vteretur. Neutrum ille consecutus est, nam captiuam patriam moriturus vidit, & eius defensores amorem patriæ morte, exiliique luerunt; qualem tamen principem esse, qualem ciuem vellet, nobis ostendit; nempe amantissimum patriæ, totius inquam, & singulorum in patria ordinum, singulorum partium, oppidorum, vicorum, hominum. Si enim tantus est amor patriæ etiam in priuatis, ut omnes omnium caritates patria una complexa sit, ut idem Cicero l. i. de off. Si ad eius amorem ostendendum fingunt Vlysem sapientissimum virum patriam immortalitati prætulisse.

*ἡμερον τον κατην ἀποδράσκοντα τοῖς αἰσιν*

*Cupientem videre sumum de patriis focis ascendentem.*

Si natura nihil est coniunctius patriæ, ὅθεν γὰρ ἐστὶν οἰκότερον πατρίδα. Si pro patriâ nemo bonus mori dubitat, si ei profuturus sit. Si pro ea mori, & nostra omnia ponere, & quasi consecrare debemus, quanto amore, studio, erga eam affici debet magistratus, princeps, rex, qui non modo patriam amare, cui gratias omnia præstare debet, sed eam patriam à qua habent tot pignora mutue caritatis, à qua ad honores, opes, gloriam euecti sunt?

*Patria magistratui multum præstat, cum illis fidei.*

Singularissima enim est, & grauissima principum obligatio. Nam principio eorum caritati, fidei, diligentie, iustitiæ se patria commisit: nemo adeo barbarus est, qui eum non amet, cuius in se tantum amoris, & tam præclarum iudicium expertus est. Deinde magnificentissime ac sumptuosissime principem alit patriâ, inter tot millia pauperum, inter tot myriadas duro labore vitam tolerantium, principi non ad necessitatem duntaxat, sed ostentationem, magnificentiam, recreationem abundantissime omnia suppeditantur. De industria negotiatorum, de vigiliis artificum, de sudore rusticorum, de ærumnis metallicorum aliquid deceditur, quod in deliciis dignitatemque absumat princeps. Non est autem, necesse debet patriæ sensus, aut voluntas, ut has opes in vnum conferat, aut paucos, ut de labore omnium luxurientur magnates, sed ut caritate, prudentia, labore, etiam periculis, & morte vniuersos

& singulos tutos, indemnesque præsent. Militi si munia ea strenua obire nolit, si in acie stare formidet, stipendium Imperator subtrahet; at princeps si religione, & conscientia ducitur facile intelligit, tanto honore, tantis opibus se fultum, ut pro sit patriæ, regium comitatum, purpuram, coronam, honores delatos, splendorem aulae, epularum exquisitissimarum delicias, thesauros, obsequia populorum laboris esse stipendium, auctoramentum vigiliarum, maximarum curarum delinimentum, incitamentum ut patria bona augeat, eius mala in se transferat, grauissimum flagitium existimet in ea curanda negligentiam. Optime Aristoteles l. 5. polit. c. 9. Tria autem debent habere ij, qui magistratus totius ciuitatis amplissimos, & penes quos est summa reipub. potestas, gesturi sunt: primum in reipub. statum beneuolentiam: deinde eius magistratus, quem gerunt, munerum obediendorum facultatem maximam. tertio loco virtutem & iusticiam in vnaquaque reipub. administranda forma, pro cuiusq. reipub. administranda forma.

*Officia magistratus.*

§.10. De officio quidem magistratum agam singulari libro, Nunc hoc moneo: Summam in principe requiri in omni genere rerum curam, industriam diligentiam. Arbitror autem multos principes alioqui inculpato, & iustos apud regem regum, & dominum dominantium seuerissima quaestione examinandos, tristissima sententia damnandos, quod in officio suo ea qua oportebat diligentia versati non sint; tempus seriis negotiis, & salutis publicæ debitum ludicris dedicarint. Si enim aduocati negligentia, causa cliens cecidit, si vinitoris seculordia auctumnus intercidit, si militis somnolentia oppidum in periculum deductum est, venia negatur in minore delicto; quid si principis incuria tota respublica derimentum patiatur, quis ignoret? Estimare facilius est labores, & milerias principis, quam expone-re, si muneris sui magnitudinem, errorumque discrimina ipse intelligat. *Ærumnosum est, & curarum innumerabilem est, fieri principem, nam cum ad singula singuli teneantur, vniuersa curarum moles principi incumbit.* Moles ponderosa principem etiam gentili, molestior Christiano, qui officii sedulitatem, integritatemque Deo approbare se debere credit. Hoc tanto rerum pondere, pressos, necesse est, aut lassari, viribusque pene deficere, aut obstupuisse, ut oneris grauitatem non sentiant. Laudatus historicis, sed impius, & Christianæ pietatis immanis persecutor fuit Septimius Seuerus, ex milite gregario, per omnes honores, & laborum gradus ad Augustum fastigium elatus, is moriens, cum vitæ acta omnia relegeret; *Omnia, inquit, fui, & nihil expedit.* Omnium principum eam vocem esse non dubito. Procedat in medium mihi annosus princeps, qui iam in hæredem sepepra transcripsit. Dicatque, quomodo à suis offensus, & contemptus fuerit, quas ministrorum noxas dissimulare coactus sit, quot insidiis inimicorum, quot calumniis maleuolorum appetitus sit. Quoties in fraudem inductus sit, quam importune vexatus, nullus dubito si totum vitæ cursum sine furo recenscat, fore ut ipse admiretur, tanta se perferre potuisse. Quod si etiam princeps sit, cui pietas cordi, qui iustitiam æmuletur, rempublicam diligit, de omnibus rationem Deo reddendam sciat, quo horrore sese examinabit? An omnia quæ Deo, quæ pauperibus, quæ diuitibus præstanda fuerunt, prompte, diligenter, mature, sine damno, sine precio, exhibuerit? Regnum, scepra, maiestas Dei beneficia sunt, quæ quanto maiora sunt, tanto grauiora peccantibus iudicia constituta sunt. Quo enim est indulgentior liberalitas, eo inexcusabilior est largitatis abusus. Dona augentur, & crescent donorum rationes. Quantum maiestas accedit, tantum seruitutis, & periculossimæ seruitutis exigitur.

*Grauis culpa principum negligentia.*

*Ærumnosiores principatus.*

Claudam hanc partem sententia D. Augustini. In hoc seruiunt reges Deo, si in regno suo bonam uideant, mala prohibeant, non solum, quae pertinent ad societatem humanam, sed quae ad religionem diuinam.

## CAPVT XXV.

*Præstat principem esse hereditarium,  
quam eligi.*

*Varietas  
sententiarum  
et regnan-  
tium.*

§. 1. **D**IFFICILEM non altercationes modo disputantium, sed imperiorum etiam maximorum iudicia, ac usus questionem faciunt. Germani qui Augustum imperium obtinent, Poloni, alique reges eligunt; Hispani, Franci, Angli, ac plerique alii hereditarios habent dominos. Quorum igitur instituta, legesque probanda sunt? an me decet de antiquis regnorum pactis, ac consuetudinibus iudicare? Decet vero, si reipublicæ consilium dare est propositum, nec ægre ferent heredes regnorum me præferre electos, quia amici sunt electorum, nec electi irascuntur laudanti hereditaria regna, cum & illi multa hereditaria possideant. Si enim vel Imperator, vel Electores Imperatorum malunt omnia liberis suffragiis constitui, ipsi de suis hereditariis ditionibusque cedant, atque electionis arbitrio committant. Meam itaque sententiam perspicue breuiterque paucis propositionibus explicabo.

*Politia electione  
constituit mag-  
istratum.*

§. 2. Propositio 1. Politia seu populare regimen necessario electionem desiderat, cum enim omnibus ciuibus ad honores aditus patere debeat, & pauci possint esse qui imperent, electione faciendum est discrimen.

§. 3. Propositio 2. In Aristocratia etiam electio necessaria est; sunt enim plures optimates, quam esse possint in magistratu; si autem nascendi iure nonnulli dignitates obtinerent, ceteri excluderentur, & reipublica delineret in dominatū paucorum.

§. 4. Propositio 3. In vniuersum hereditariam successionem electioni præpono:

Rationes quæ me ut ita sentiam inducunt, sunt variae, quas considerandas omnibus in medium profero.

*Pro successione  
est antiquitas.*

§. 5. Prima ratio. Antiquitus nati sunt, non electi reges, quod autem in reipublica antiquissimum id haud facile migrandum. Regum enim dignitas patriæ potestati similima est; qui enim inter patres prudentiores erant familiam regebant; deinde primogeniti erant domini fratrum suorum, & incuruabantur ante eos filii matris eorum. Iacobo, Isaac oculis caligans, sed diuino oraculo seruicens, dominatum in fratrem dedit, quem exigua nascendi mora supplantator antecesserat. Dominum tuum, inquit, illum constitui, & omnes fratres eius, seruituri illius subiungam, Genes. 27. 37. De Ruben quoque idem ait, Prior in donis, maior in imperio, quia & ille primogenitus erat, sed dignitate per incestum exciderat.

*Prima regna erant  
ut nunc  
magna familia.*

Capita ergo familiarum erant primogenitura æstimatione, non electione fratrum, & prima regna non erant nisi magnæ familiæ. Imaechi etiam nati sunt duodecim principes tribuum suarum, Genes. 25. 17. Eodem etiam tempore Horæi in monte Seir hereditate ducatum adibant, ut constat ex Genes. 36. 20. Quin & postea illa consuetudo mansit, nam rex Moabitum filium primogenitum arripuit, qui regnatus erat pro eo, & obtulit holocaustum super murum. Regna etiam Assyriorum, Chaldaeorum, Aegyptiorum, Medorum, Persarum erant hereditaria. Diuino etiam munere de stirpe Davidis principes nati sunt, & apud Israelitas in ipso schismate tyrannorum filii patrum fuere successores, nisi cum alio tyranno vigente ante imperium ade-

ptum trucidati sunt. Non tamen fuit ignota electio regum ne illo quidem sæculo. Nam Genes. 36. a versu 31. numerantur Idumæorum reges octo, quorum nemo regnum hereditate obtinuit, nec credibile est omnes adoptione, aut tyrannide regnum gentis bellicosæ consecutos, itaque electi sunt.

§. 6. Non audiendi igitur viri prudentes, & magni, qui electionem volunt antiquiorem, & heroiis illis temporibus vix aliter factos reges, principatus pace, aut bello, virtutis, aut roboris prærogatiua assignatos. Naturæ enim esse deteriora posterioribus submittere. Hinc Brasilienses ad Carolum nonum Franciæ regem adducti, paruo, & tenello regi validos, & proceros Helucios parere mirantur. Errant viri illi magni, nam Heroicis temporibus videmus eos qui ad Troiam pugnant, reges regum filios fuisse, ad Deos etiam plerique progeniem referebant. Si res fabulis definienda est, & Semidei adducendi sunt, in Aegypto colligam per quindecim dynastias, annis 3317. multos reges, & primos octo continua successionem liberorum heredes, post etiam lege lata ad successionem mulieres admittæ sunt. Sed illa prætereo, Tempore Moysis Troiæ regnavit Dardanus, eius posterii sunt, Euechthonius, Troillus, Laomedon, Priamus, quis Troiæ imperium negarit esse hereditarium? Reges Tyri Abibahal, Hirom, deinde Astarthus, Asserimus, Pheles. Reges Mycenarum, Pelops, Eurystheus, Atreus, Agamemnon, Orestes, Penthilus vltimus Pelopidarum. Atheniensium reges, Euechthonius Vulcani filius, cuius familia annos 285. imperium tenuit, ad Melanthum deinde transfuso imperio quatuordecim reges habuit, ut semper filius patri successerit. In Spartano plus varietum pulsus hereditibus per tyrannos, sed multa docent fuisse & illud ex successionem, nec modo hereditarium sed etiam dotale fuit, Menelaus enim filius Atrei ducta Helena pro dote Spartam accepit. Post vero Heraclidarum regnum diutius non interrupta nepotum serie, quam vllum aliud durauit. Apud Corinthios quoque heroum tempore reges nascebantur; Sisiphus Aoli filius, Ornition, Thoas, Damophon, Propodas, Doridas; annos autem 259. regnarunt Sisiphidae. De Iano, Saturno, Fauno, Pico Latino aboriginum regibus dicere fugio, ne fabulis rem feriam stabilire velle videar; sed euellenda vetus illa opinio quorundam, qui olim electione reges factos affirmant, & regnum fuisse virtutis, aut roboris prærogatiua donatum, certe negarent id ipsi reges, dicerentque filius sapientum ego, filius regum antiquorum. Non tamen omnem electionem tolle, nempe si nouum regnum inchoarent, si regia stirps deficeret, si in idoneus regno hæres iudicaretur.

*Heroicis  
temporibus na-  
scebantur  
reges.*

*Exempla  
vetera suc-  
cessionum.*

§. 7. Secunda ratio ex ipsa electione sumitur, quæ tumultui, & nouis machinationibus seditiosorum obnoxia est. Transitus enim rerum malis conatibus opportuni sunt. Et cum futurus euentus incertus est, multorum animi eriguntur, multorum spes instantur, quæ omnia cohibentur, si successor non sit in incerto. Iactationes comitiorum Romanorum cum Consul, imo adilis eligebatur, turbulenta, & cum sanguine fuere, cum tamen annuus esset ille magistratus: quid si pro perpetua dictatura decertassent? Quanto in periculo sint ditiones, nouæ electionis tempore ipsa hominum sollicitudo demonstrat, & tot exempla hæcenus docent. Et miserum sane est non in Politico tantum magistratu, sed Ecclesiasticis etiam officiis, sacrisque hominibus electionem aliquando non sine magno Ecclesiæ ac Reipublicæ vulnere peragi posse. Electio vero in Romano imperio, quas clades mundo intulit.

*Electio tu-  
multu &  
mctu plena  
est.*